

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius

Sánchez, Francisco

Schoppe, Caspar

Perizonius, Jacobus

Franequera, 1687

Cap. XIII. - De adverbio. Nullum casum regit, nisi pro nomine accipiatur

[urn:nbn:de:bsz:31-109138](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109138)

CAP. XIII.

De adverbio. Nullum casum regit, nisi pro nomine accipiatur.

ADverbium videtur dici quasi adverbium quia verbis, velut adjectivum adhæret; ut, *benè dormit, graviter disputat, lente ambulat*; & est proprius modus in verbis, non ut grammatici putabant, comminiscetes, Imperativum, subjunctivum, cæter. quos nos ex conjugationibus sustulimus supra lib. I. capit. 13. Junguntur & adverbia aliis partibus; ut, *bene doctus, bene mane, valde velociter*. Sed hic etiam modus, quo aliquid fit, aut est, significatur.

At vide
istic No-
tas.

Adverbia, nisi pro nomine accipiantur, nullum casum regunt; ut, *crurum tenus, Tenus non est præpositio, quum genitivum habet; ut, satis vini*; „[subauditur enim, *sine*, ut intergrum sit, *crurum sine tenus*, Sallust. *Fine tinguinum ingrediuntur mare*, ubi supplendum *tenus*.] Vide Ellipsin, *Finis*.]

O, dicunt regere tres casus; ut, *O vir fortis, atque amicus; O curas hominum; O Cæsar invictè*. Sed quum dicunt, ait Cæsar Scaliger, O esse optandi, tantum abest ut assentiar, ut etiam, * *utinam*, putem esse interjectionem: neque enim modum ullum apponit verbo; idem

* *Utinam putem esse interjectionem*] Immo vero est ejusdem naturæ, cujus ut & uti. Nam additur, ut aliis etiam particulis, veluti *quianam, undenam*, immo & nominibus, Plaut. Aulul. III. 2. 13. *quid tibi meisnam in ædibus erat negotii* Bacch. V. 1. 27. *Quid tibi ex filionam agre est*. Porro ante *utinam* semper integra adhuc sententia intelligenda est, uti ostendimus ad pag. 64, extr.

idem enim est, *Amarem*, & *ultimam amarem*.
 Et, *O mihi prateritos referat si Jupiter annos*, idem
 est, *heu*, quare mihi non refert Jupiter? ne-
 que omnino vocandi ullum adverbium fit;
 nihil enim detorquet, aut addit, aut tollit à
 nomine, *Hac ille*, Vide quæ supra lib. I. cap.
 13. dicta sunt.

Quo, & *Unde*, sunt qui dicant regere accu-
 sativum; quia dixit Horat. *Quo mihi fortunam*
si non conceditur uti? & Cic. *Quo mihi Martis si-*
gnum pacis amatori? Horat. *Unde mihi lapidem*,
quorsum est opus? unde sagittas? Juven. *Unde tibi*
frontem, libertatemque parentis? Sed in his deest
 verbum *Paro*, vide in Ellipsi.

En, & *Ecce* non regunt accusativum, vel
 nominativum, Vide Ellipsin verborum.

CAP. XIV.

De conjunctione, contra omnium ferè opinionem.

Conjunctio neque casus, neque alias
 partes orationis, ut imperiti docent,
 conjungit: ipsæ enim partes inter se
 conjunguntur, ut nomen nomini, nomen ver-
 bo, &c. Sed conjunctio orationes inter se
 conjungit; ut, *Cæsar pugnat*, & *Cicero scribit*.
 At verò quum dicis; *Cicero scribit*, & *vigilat*,
 duæ sunt orationes in Zeugmate figura: item;
Cicero, & *filius valet*, figura syllepsis est; ut,
Valet Cicero, & *valet filius*. Vide supra lib. I.
 cap. 18.

Neque huic assertioni obstat, quod Valla, *Lib. 3.*
 & omnes grammatici mordicus tenent, *Con-*
 junctionem semper jungere similes casus, ex-
 ceptis paucis; ut, *Emi drachma*, & *pluris*: nec
 enim